





DISQVISITIO
NVM LIBER IOBI CVM ODYSSEA
HOMERI COMPARARI POSSIT?
SECTIO I.

QVAM
SINGVLARI INDVLTV
INCLYTI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIO - CAROLINA
ANTONIVS AVGVSTVS HENRICVS
LICHTENSTEIN

PHILOS. DOCTOR ET LIBERAL. ARTIVM MAGISTER SOC.
DVC. TEVTON. SODALIS

A. D. XXX. OCTOBR. A. R. S. CIDIDCCLXXIII.

IN IVLEO MAIORI


PVBLICE VENTILABIT

RESPONDENTE

HENRICO PHILIPPO CONRADO HENKE

BRVNOVICENSI

SACR. LITTER. CVLT. SOC. DVC. TEVT. ADSRIPTO.



HELMSTADII

EX OFFICINA MICHAELIS GVNTHERI LEVCKART.

DISQUISITIO
IN LIBRO IOBIS CUM ODYSSEAE
HOMERII COMPARATIONE
SECTIO I.

EXAM
SINGULARE INDUIT
INCLINAT ILLUCENTUM OPIUM
IN LUSTRUM ADARUM LUIS CAROLINA
ANTONIA MARYSUS IN RELIGIO
LUCRISTIA
MAGIS DOCTOR ET LIBERALIUM ARTIUM MAGISTER
D. D. XXXI. FEBRUARII. A. D. MDCCCLXXXII.
IN VILLO MAIORI
VINDICIT VITAM
RESPONDENTE
HENRICO PHILIPPO CONRADO HENKE
MAGISTRO
FACULTATIS THEOLOGICAE
UNIVERSITATIS
HILFSTADII
DE HILFSTADII



GENEROSISSIMO
PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
DE VELTHEIM

HEREDITARIO DOMINO IN HARBKE ADERSTEDT
ET GROPPENDORF ORDINIS LEONIS AVREI
HASSIACI EQVITI SERENISSIMO DVCI BRVN-
SVICENSIVM IN DICASTERIO AVLICO WOLFEN-
BVTLENSI IVDICI SVPREMO DVCATVS
BRVNSVICENSIS TRICLINIARCHAE HE-
REDITARIO REL. REL.

PATRONO AC MAECENATI
SVMMO PIETATIS ATQVE OBSERVANTIAE
CVLTV DEVENERANDO

HOC
QVALECVMQVE
MENTIS GRATISSIMAE MONVMENTVM
RELIGIOSE OMNIQVE OBSERVANTIA

D. D. D.

SEQVE EIVS GRATIAE PATROCINIOQVE
DE MELIORI COMMENDAT

PATRONO AC MAECENATI
ANT. AVG. HENR. LICHTENSTEIN.



PRAECOGNITA.

§. I. *Instituti ratio.*



Si quis, quantum fieri potest, clarissime ac funditus cognoscere studet, quam paruis ab initiis profecta, litterarum studia in molem hanc insignem excreuerint, quam nunc exstructam admiramur, hunc profecto inuestigare oportet humani ingenii conditionem eam, qua praeditum erat, dum libri conscriberentur, quibus primis ad nostra usque tempora superare contigit. Haec vero antiquissima doctrinae monumenta non vnus omnia generis sunt. Duplex enim est potissimum fons primitiuus, ex quo, quanta quanta est, aetatis nostrae eruditio scatet ac promanat. Alterum puta libros, Deo auctore Hebraïca dialecto exaratos, Graecos scriptores vetustissimos alterum. Vereor enim, vt fatis effici idoneis rationibus vlllo modo



modo queat, inter hos, ut multi olim putarunt, imitationem quamdam intercedere. a) Quam ob rem certe operae pretium videtur, utriusque linguae scripta conferre, et quae secum inuicem communia habeant, quibus e contrario differant momentis, indagare. Haec saepius mihi animo volutanti, quum hoc tempore dissertatio aliqua esset conscribenda, quam publici tentaminis causa defenderem, satis digna, in qua versaretur quaecumque ingeniolium meum materia visa est, libri Iobi cum Odyssaea Homeri comparatio. Quorum quidem poematum prius illud omnium ingenii operum, quae supersunt, facile antiquissimum est, b) ac praeterea diuina et origine et auctoritate commendatur; alterum vetustate scripta Graecorum genuina, si ab Iliade discesseris vincit omnino omnia.

Serius est magno quidquid miramur Homero.

Uterius nullum Graecia nouit opus.

DAN. HEINSIUS.

Homerus quidem in vniuersum inter auctores profanos sacrorum scriptorum stilo proxime accedit. c) Elegi vero potius Odyssaeam prae Iliade, quoniam non vnam antiquitatis rationem habui, sed alias quoque sequutus sum similitudines.

§. II.

a) Vid. CHRIST. AD. KLOTZII praefationem Henr. Wagneri carminibus Horatii collatione scriptorum Graecorum illustratis praefixam, qua ostendit, quomodo comparatio locorum similium in scriptoribus, in primis poetis instituenda sit, opusc. philol. p. 51.

b) Vid. inter alios ROB. LOWTH praelect. XXXII. de sacra poesi Hebraeorum p. 649. ed. Goett. et

IOH. DAV. MICHAELIS in epimetro ad eandem p. 677.

c) Nollem tamen ipsi tribuere inspirationem quamdam diuinam, (ut ZACH. BOGANVS fecit in epistola ad lectorem libro, qui inscribitur Homerus *ἑβραϊκῶν*, addita) aut DAN. HEINSIO adfentiri, qui passim in Aristarcho sacro docuit: Homerum omnia depromisse ex Oriente, quod ad caeri-



§. II.

Ordo tractationis.

Equidem mihi videor, non solum I, plurimas inuenisse in Odyssæa SENTENTIAS a) *de natura diuina ac religione*, b) *de moribus ac vita pie prudenterque instituenda* c) *de ritibus et consuetudine populari*, quæ cum enunciatis libri Iobi conspirant, mirum quantum: verum etiam II, peculiarem vtriusque *poëmatis* conuenientiam, a) *qua formam externam*, b) *scopum* et c) *argumenti pertractationem*; porro d) *eundem fere machinarum*, quas vocant, *usum easdem sæpe e) aut saltem simillimas imagines* α) *ex rerum natura* β) *vita communi* et γ) *antiquissima Aegyptiorum mythologia* desumptas; f) *comparationes* g) *prosopopeias*; parum denique h) *discrepans* sublimitatis genus. Sed hæc quidem singula, eorumque causas et consequentia pro virili eruta, secundum ordinem modo propositum periculum enarrandi faciam. Dispersam vero omnem hanc materiam in sectiones duas, quarum primam, quæ *sententias* spectat, hoc tempore absoluam, alteram autem proximæ occasione aliquid scribendi referuabo.

§. III.

*Utilitas comparationis poetarum veteris Testamenti
cum antiquis Graecorum carminibus
et quidem speciatim
in Theologia, atque in philosophia morali.*

Nunc prius quam ad ipsum negotium meum me accingam, haut alienum videtur, de fructu vario, qui ex poetarum

caerimonias, ad res, ad voces. Ridicula mihi potius videtur GERH. CROESII opinio, Homerum non modo multas habere *γῶμαις*, seu sententias sacrae Scri-

pturae, verum eas quoque mutatum esse ex S. S. Vid. eius *Όμηρος Έβραϊος* T. I. p. 175. (Dordr. 1704. Tomus II. huius libri numquam editus est.)



rum Hebraicorum cum Graecis collatione percipi queat, deque eiusmodi comparationis instituendae legitima ratione, nonnulla praemonere. Triplicem potissimum faciunt, qui de Homeri lectione exponunt, institutionem, quam assiduus lector ex scriptis tanti poetae haurire possit. (Et hoc, meo quidem animo, de cunctis Graecis vatibus in vniuersum valet.) Aliam, quae ad *ritus et consuetudines* pertineat, quae ad *mores* vitaeque agenda rectam rationem spectet, aliam, vltimam denique eam, quae in *religione et praeceptis* de natura deorum versetur. d) Quantum praestat veritas fictioni et errori, quantum naturalis ingenii facultas a diuino adflatu vincitur: tanto vberius puriusque vnaquaeque harum disciplinarum (binae praesertim posteriores) ex Hebraeorum poetis arcessitur, quam e profanis omnino omnibus. Ideoque iam vel eo nomine, mutua eorum comparatio mirifice commendatur, quod ex illa religionis nostrae et librorum, qui nos eam docent, diuinorum praestantia, clare pateat splendideque elucescat. Quo vsu, quis excellentior, aut Christianae doctrinae amantissimo cuique carior vel ipsa cogitatione effingi potest vnquam? Quando infra eum in locum deducta erit nostra disputatio, exemplorum maxime idoneorum, quibus praestantiam effatorum Mosis e) de Deo ac religione ac de morum integritate et vitae sanctitate seruanda, curate comprobem, abundantia potius nimia laborabo, quam inopia. f) Haut vero minor vtilitas, eâ, quae ex duobus

d) Vid. CAR. ROLLIN, in praeceptis de docendis addiscendisque artibus liberalibus p. 377. sqq. vers. Teuton.

e) Mosen esse auctorem libri Iobi vir Illustris IOH. DAV. MICHAELIS, in prolegom. ad Iobum et in epimetro ad praelect. XXXII. Rob. Lowthii tam simili

le reddidit vero, vt pro concessio adsumere iure quodam meo mihi videar.

f) Egregie monuit KLOTZIUS loco supra laudato, magnam esse adhibendam cautionem, ne quis externa verborum specie deceptus, inter profanorum ac sacrorum scriptorum sententias, maximam

bus hisce momentis in Theologiam et moralem philosophiam redundat, se exserit, si consuetudinem et ritus vtriusque gentis (Hebraicae et Graecae) quos in carminibus poetarum descriptos legimus, comparare instituas. Non solum enim tale studium curatiorem penitentioremque antiquitatum cognitionem suppeditat; verum etiam, quos mores vetustissimae gentes, ob naturae humanae similitudinem et aequalem culturae gradum, inter se habuerint communes; quibus vero momentis, propter discrimen coeli, educationis, status reipublicae, religionis et vitae generis, discreparint docet. Quid? quod antiquissima iuris naturae et ciuilibus vestigia, quae passim in poematibus sunt dispersa, et ipsa tali comparatione quodam modo illustrantur.

§. IV.

Eiusdem usus in physica et historia naturalis.

Neque vero his artibus se finibus, eiusmodi, de quo nobis sermo est, instituti vtilitas, cohiberi coërcerique patitur. Plurimum enim profecto naturalis historiae et scientiae gnarus in suis hisce artibus proficere poterit, si ea, quae de animalium, plantarum ac fossilium natura, et de corporum viribus in poetis Hebraeorum et Graecorum occurrunt, curatius perpendere et inter se conferre illum haut pigebit. Nec pauca reperiet, quae forsitan frustra in optimis itinerariis, aut alibi quaesierit.

mam similitudinem sibi inuenisse videatur. Etenim in ethicis praeceptis diiudicandis, non singula modo effata, sed vniuersum scriptoris cuiuslibet systema perpendas necesse est. Eadem verba in variis philosophorum scholis, variis significationibus sunt insigni-

ta. Quare saepius, si quis splendidissimas veterum gentilium de virtute declamationes ad principia ipsorum exigat, detestandas illas esse persentiet. Vid. IOH. FRANC. BVDDEI introductio in philosophiam Stoicam ex mente M. Aurelii.

B



rit. Primus, quantum equidem scio, communem plurimorum, qui historiam naturalem tractant, scriptorum errorem, Arabiam esse patriam, refutavit vir illustris IOH. DAV. MICHAELIS, et solidis comprobavit argumentis, regnante demum Salomone equos ex Aegypto in Arabiam esse translatos. Vnde vero hausit hoc, nisi ex Hebraeorum scriptis, tum poëticis, tum libera oratione exaratis? Potest igitur illud quoque suo iure ad probationes referri, cur Aegyptius homo Iobum conscripsisse videatur, g) quoniam in hoc libro occurrit descriptio equi, c. XXIX. v. 22-28. Quis est ad sensus poëticos percipientes tam stupidus, quin videat istum locum, nisi aliquanto venustiore, saltim aequè pulchrum esse, atque Homeri similitudinem, quando Paridem ad pugnam exeuntem cum equo comparat Iliad. Rhaph. VI. v. 506-511. Omnem sane equi indolem animosam, ex duabus his praestantissimorum poëtarum picturis, longe clarius nitidiusque animis nostris consignare possumus, quam si omnes perlegamus libros, qui de historia naturali generosi huius animantis ex instituto conscripti sunt. — Quod quaestiones physicae in poëtis antiqui foederis, praecipue in Psalmis et Iobo nostro obueniunt, quas Graeci vates quoque in medium proferre solent, et quarum resolutio maximi momenti est in naturali philosophia? Ac de his quidem momenti sectione altera fusius erit exponendum, quando imagines poëticae ex rerum natura desumtae, in Iobo et Odyssæa obuiae, euoluentur.

§. V.

Utilitas eius in poësi.

Inter omnes vero disciplinas artem poëticam ex collatione poëtarum, qui inter Hebraeos floruerunt, cum Graecis fructum

g) Vid. IOH. DAV. MICHAELIS, Commentationem de Iobo Aegyptio, quem honoris causa nomino,



ctum longe praestantissimum percipere posse, nulla videtur admodum indigere probatione. Quod si enim ita fiat, ut sequenti paragrafo suadebo, non solum eius ope contemplativa s. *theoretica* poëseos cognitio et prudenter diiudicandi carmina facultas, non dicam adquiri, sed tamen augeri firmarique poterit: verum etiam praecepta quaedam in hoc tali negotio versanti se offerunt, quae nullo facile alio modo aequè clare curateque elucescunt, eademque tamen illos, qui ad poëmata conscribenda et ipsi animum appellunt, a multis vitiis tutos praestare et videres haut paucas docere possunt. Siquidem vero praecipua quaedam poëtae laus, ut hoc utar, in eo cernitur, quod, quantum sibi alius linguae et veteres in primis scriptores imitari liceat, bene norit, quo, patrii moribus et linguae vernaculae genio minime neglectis, ipse exemplar edidisse dicatur: nihil vati antiquius esse debet, quam, variis idoneisque exemplis congerendis, cognitum sibi perspectumque reddere, quae sententiae, tropi et figurae, ob communes illas totius humani generis opiniones, quas sensum communem vocant, h) a quovis poëta, cuiuscumque est populi, religionis et aevi, recte et eleganter adhiberi queat, quid semper sit et ubique a sublimitate insignitum. Contra ea, quatenus *effata* gentis suae opinionibus repugnent, quae *imagines* sint nimis peregrinae, aut alias ob causas captui vel palato lectorum minus accommodatae, quantum sibi per religionem et nationis suae genium liceat, *res vitae animaeque expertes, ut personas, proponere*, et, ut ita dicam, animare; quid denique sua aetate suoque loco turpe humileque habeatur, quum ab antiquis poëtis cum laude *sublimitatis* adhibitum sit, curate calleat oportet. Profecto comparatio Hebraicorum poëtarum cum Graecis plurimum valeret, ad hanc cognitionem acquirendam. Sed magna haec

B 2

est

h) Cf. G. G. ZEMISCH de ana-

logia linguarum interpretationis subsidio, p. 7.



est adhibenda cautio, ne quis ea, quae singulis Graecis vati-
bus cum diuinis poëtis sunt communia, ob *sensum* communem
inter eos conuenire putet, ideoque satis tuto esse imitanda.
Ratio enim quoque est habenda antiquitatis, coeli et status
rerum publicarum vtriusque populi, in quo tum versabatur,
quum poëta scriberet, aut illi viuerent, quorum mores et res
gestas carmina enarrant. Et eo quidem summus absoluitur
in praecipua vtilitate labor, vt singulis locis constituatur, num
ibi conueniant Graeci poëtae cum Hebraeis ob ipsam rerum
naturam, an vero propter alias illas, quas modo laudauimus,
rationes.

§. VI.

Legitimus modus conferendi poëtas Hebraeorum cum Graecis.

Sed vereor, ne iusto longior euadam in recensendo
vario fructu, quo comparatio eiusmodi redundare possit.
Quam ob rem me ad scopum propius conuertam, paucissima
quaedam verba, de ratione, qua rite comparandi videntur
Graecorum poëtae cum Hebraicis, praefatus. Primum om-
nium ad tale propositum eligenda videntur carmina, quae
aetate pariter, ac suo quoduis argumento optime inter se con-
gruunt — Argumenti vero seu scopi conuenientiam inter di-
uina antiqui foederis, et inter Graecorum poemata interce-
dere putauerim istiusmodi, quae non tam posita sit in eo, quod
auctores eumdem finem primum sequuti sint, cur exarauer-
int carmina, aut prorsus aequali occasione ad scribendum fue-
rint ducti; sed potius in ea cernatur ratio, quod integra
vtriusque linguae poemata, ad vnum quoddam singulare effa-
tum possint exigi ac referri, quod vel inuitis scriptoribus legen-
tium animis semper obuerfetur — Tum inquirendum est in
ipsam argumenti pertractationem, quo modo sit ab vtroque
auctore digesta. Porro praeconceptis opinionibus reiectis omni-
bus



bus vtriusque gentis poëtarum examinandae sunt sententiae atque imagines. Absque vlllo partium studio item dirimendum est, vbi et qua quisque arte, naturam feliciter sit imitatus, aut contra ea optimam hanc scribendi magistram neglexerit; i) quam simili aut diuerso obtutu contemplati sunt eundem naturae euentum eademque hominum facinora. Multum denique in eo industriae collocandum esse videtur, vt attendamus, quas machinas, vt vocantur, in epico aut dramatico carmine singuli interessè iubeant, quo vindice nodum dissolvere consueverint.

§. VII.

Transitus ad tractationem ipsam.

Equidem quantum ingenii atque eruditionis ad eam, qualem proposui diuinorum poëtarum cum vetustis Graecorum carminibus immortalis laude dignissimis, omnibus numeris absolutam elucubrandam opus sit, haut ignoro, neque eo arrogantiae procedo, vt tanto me ausui parem esse vlllo modo putem. Attamen periculum faciam, paucula ista, quae praestantissimum poëma Iobi et Homeri Odyssæam saepiuscule perlegenti, de vtriusque scripti comparatione in mentem venerint, pro virili mea parte proponendi, vnica fretus eruditorum indulgentia, pro qua, si quid errauero, aut minus curate doctæque exposuero, aequos rerum aestimatores hoc daturus spero aetatis meae vitio. Tum profecto satis superque industriam qualemcumque meam, et quam huic libello impendi operam, praemio suo adfectas existimabo, si, quod maximi facio, virorum doctorum iudicio ipsum propositum haud profusum futile ac reiiciendum videbitur. Ad hoc quidem iudicium explorandum primam hanc sectionem speciminis causa publici iuris facere sustinui, ne in altera elucubrandam, quippe quae longe

B 3

i) Vid. infra initium, §. 9.



longe maiorem requirit laborem, vmbrailem diligentiam collocasse dicerer.

S E C T I O . I.

COMPARATIO ADSERTORVM IOBI
ET HOMERI IN ODYSSEA

§. VIII.

Singulatim sententiarum de Deo.

Communi quodam omnium consensu recte statuitur, gentes illas, quae olim Deorum fictorum cultui fuere deditae, etsi in plurimis enunciatis de natura Dei, quae rationis solius ope recte possent intelligi, a veritatis tramite procul discederent atque aberrarent: nihilominus tamen multa, quae ad Theologiam naturalem pertinent, recte clareque calluisse. Quapropter mirum nemini admodum videbitur, si scriptores profanos saepius reperies similia de Deo eiusque cultu praecipere illis, quae passim in sacris litteris de religione docentur. Praecipue vero Homerus tali usus est ingenio, quod ficti alias ad conceptus et dictiones maxime sublimes erat effectum, ita quoque potissimum in illis cogitationibus, quae ad efferendam mentem accommodatissimae sunt, nimirum, quae in summorum numinis proprietatum, eiusque operum immenso contemplatione versantur, ad auctorum, sancti flaminis impulsu scribentium *vsq;* proxime accedere valebat. Fatemur quidem, hunc poetarum patrem, multa de Diis praedicare, quae maiestati aperte repugnant, atque eo nomine vel ipsis philosophis gentilibus ita displicere, vt Homerum aequales cum Tantaloe ac Sisypho in Orco poenas dare adseuerarent: at multis aliis locis hanc suam impietatem, eximiis sententiis, si hoc dicere fas est, redemit, dum saepe tam grandi atque excellenti



cellenti modo de natura diuina exposuit, vt nemo facere possit, quin idearum veritatem et sublimitatem miretur in homine verae religionis experte. Praeterea vero in Odyssæa multo grauius de Diis eorumque rebus gestis loquitur, quam in Iliade. Quid? quod omne hoc poemata singulis exemplis sapientiae, iustitiae bonitatisque numinum atque eorum curae generis humani, seu prouidentiae, fere conflatum est. Quo fit, vt vix in vlllo Graecorum veterum scripto tam frequentem Deorum mentionem fieri putem, aut tot grandia de eorum natura, perfectionibus cultuque effata occurrere, quot vna nobis Odyssæa suppeditat. Eadem vero est libri Iobi inter scripta veteris instrumenti ratio. Integrum enim hoc carmen nil nisi confabulationes de iustitia, immensitate, potentia bonitatisque Dei continet. Quod si igitur ea omnia, quae de rebus hisce in vtroque libro obueniunt, rite atque ex instituto inter se conferre animus esset, integrum libellum hoc negotio conscribi oporteret. Quare in hoc specimine nostro paucis quibusdam exemplis videtur adquietendum, ne in nimiam excrescat molem lectoribus ingratam.

§. IX.

Argumenti eiusdem continuatio.

Duplex est error, in quem illi, qui de poemate Iobi iudicandi auctoritatem sibi vindicant, incidere solent. Alter eorum, qui suo contra sanctam religionem ac libros diuinos odio ducti, vel impotentia quadam animi, pulchritudinem et veneres carminis rite euoluendi, praepediti, nihil prorsus eximium, venustum ac sublime in Iobo offendi adserunt, ac (pulcherrimum re ipsa) hunc librum, si ad poëseos praecepta exigatur, aut conferatur adeo cum optimis profanarum gentium poematibus, cum nausea quadam ac fastidio delicato reiciendum esse arbitrantur: eorum vero alter, qui nimio cuiuscumque



que laudis scripturae sacrae studio abrepti, impie fieri putant, si quis singula Iobi commata, ad summam venustatem conformata esse neget. Sed habet ista ratio quemdam modum. Neque enim id egit, dum ageret scriptorem diuinum spiritus sanctus, vt quid scribendo efficere posset, splendido quodam et illustri documento comprobaret, sed singula verba illi fugessit, vt illis optime legentium salutem promoueri, ac spem futurae resurrectionis vitaeque aeternae confirmari posse cognouit. Quae quum ita sint, pius et cordatus arbiter, enunciat Iobi et amicorum eius, mores ac religionem spectantia, ea nimirum, quae ab auctore sacro probari e contextu eminet, omnia verissima esse et ad edocendos lectorum animos accommodatissima, statuere debet. Contra vero nonnullae *similitudines*, quas colloquentes proferunt, a summa venustate, et theses in feruore disputandi temere defensae a veritate alienae esse possunt. Quoties ergo Iobus et amici eius ex mente spiritus sancti differunt de Dei natura atque hominum officiis, aut vbi Deus adeo ipse personam agit, ibi singula adserta Homeri sententias optimas longe vincunt: at vbi errant, ibi vel ab idolorum cultore possunt antecelli. Haec videbatur antea moneri oportere, quam ad ipsam pergeremus effatorum Iobi et Homeri comparisonem, ne quis impietatis me reum agere posset, cum quadam similitudine veri.

§. X.

Comparatio adsertorum Iobi cum Homericis de naturae diuinae proprietatibus.

De Omnipotentia Dei loci occurrunt in libro Iobi fere innumeri, quos omnes percensere, alienum foret a nostro, quem proposuimus, scopo, praecipue quum fusiores sint plurimi. In vniuersum enim auctor huius carminis vbertatem scribendi Asiaticam prodit, praesertim repetitione Hebraeorum poetis
fol-

sollemni, quae parallelismus sententiarum vocatur, k) et in qua summa posita est venustas filii Hebraïci. l) Contra Homerum efflata de religione plurima brevissimis verbis complectitur. Sic omnipotentiam Ioui tribuit Rhaps. IV Odysseae v. 237. ita canens:

Zeus ἀγαθὸν τε κακὸν τε δίδαι, δυνατὰ γὰρ ἅπαντα. m)

Saepissime solet idem summam Deorum vim, quiduis pro arbitrio efficiendi, eleganter exprimere per facilitatem, qua Dii cuncta peragere valent. Insignia sunt huius rei exempla, quae leguntur Odysf. Rhaps. XVI. v. 197. 198. et v. 211. 212. Vterque ille prior versiculus occurrit in oratione Telemachi, qui repentinam patris sui, ex fene decrepito in virum robustum, pulchrum ac iuuenili vigore conspicuum, transmutationem miratus, negat, hoc humana vi effici posse:

— — — ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπέλθῃν

Ῥηϊδῶς ἐθέλων θεῖν' ἄνδρα ἦδε γέροντα.

Alterum par versuum obuenit in responsione Vlyssis et ita habet:

Ῥηϊδῶν — Θεοῖς, τοὶ οὐρανοῦ ἐυρὺν ἔχουσιν,

Ἦ μὲν κούρηαι θνητὸν βροτῶν, ἦδε κικῶσαι. n)

Singularis quaedam ratio, cur Homerus nusquam tam magnifice de omnipotentia naturae diuinæ exponat, quam Iobus, in eo latere videtur, quod huius vniuersi et omnium animalium creatio, in quo opificio maxime eminet summa Dei vis, bonitas ac sapien-

k) Vid. GVIL. TH. CAR. ALBERTI diff. de locis s. s. parallelis, §. XVI.

m) Vid. Iob. XXXVII, 23.

n) Locus similis exstat Iob. XII, 13. 25. in primis v. 18. et 23.

l) Cf. ROB. LOWTH de sacra Hebraeorum poësi praelect. III.



sapientia, o) numinibus ab ipso tribui reperi. Quare equidem putauerim, poetam mundum forsitan, cum multis aliis suae gentis et poetis et philosophis, aeternum habuisse. Hoc, si recte memini, ab aliis, qui de Homero iudicarunt nondum fatis fuit obseruatum. Naturalium vero euentuum gubernationem, p) prouidentiam pro vniuerso rerum creatarum complexu, directionemque, in primis fati hominum, Homerus aequae suis deastris, atque auctor Iobi vero numini tribuit. q) Singulatim sobolis multitudo et paucitas, ex qua, secundum antiquarum nationum sententiam, maxime pendebat humanae fortis conditio, ab utroque auctore diuinae voluntati adscribitur. r) Porro reliqua bona omnia possessionesque homines Diis acceptas referre docet Homerus, s) vnde et *δωρητες εαων δατορες bonorum* ab ipso nuncupantur, t) vti similiter fere Iobus cap. XXII, 18. a Deo domos impiorum bonis repletas esse ait, et in primis commatibus capitis XXIX, quo pristinae felicitatis laudes celebrat, se vniuersam illam Deo ac prouidentiae debere fatetur, dum statum istum, qui vt sibi rursus detur, obtat, ita depingit:

מי יתנני כוררוי קדם
כימי אלוה ושמרני:
בהלר נרו עלי ראשי

לאורי

- o) Vid. praefertim Iob. c. XXXVIII. et XXXIX. cap. XL. v. 15-XXI, 26.
- p) v. c. pluuiae demissionem Odyss. IX, 111. XIV, 457. coll. Iob. V, 10. XII, 15. XXVIII, 26. XXXVI, 27. fulminis et tonitru regimen Odyss. XIV, 305. et passim, coll. Iob. XXXVI, 30-33. XXXVIII, 1-5. vt et venti Odyss. XII, 313. 405. Iob. XXVI, 13.
- q) Odyss. I, 267. 400. IV, 172. 289. 585. V, 25. 169. VII, 197. IX, 154. et sic porro. Iobi locos, qui huc pertinent, innumeros citare nihil attinet.
- r) e. gr. Iob. V, 25. Odyss. XVI, 117.
- s) Odyss. VI, 188. VII, 132. VIII, 167. XI, 340. et alibi.
- t) Rhaps. VIII, 325. et 335.

לאורו אלך חשך:
 כאשר הייתי בימי חרפי
 בסוד אלוה עליו אהלי:
 בעור שריו עמדו
 סכיבתי נערו:

Vtinam essem, vt mensibus antiquis,
 Vt in diebus, quibus *Numen me custodiebat*.
 Quum lucerna eius splenderet super capite meo,
 Et ad lucem eius permearem tenebras.
 Vbi eram in aetate auctumni mei, u)
 Dum *Dei concilium* x) erat super tabernaculo meo.
 Donec omnipotens mecum faciebat,
 Si circumdabant me mei ferui. y)

C 2

Idem

u) Sensus horum verborum is est: quum ad vitae maturitatem prouectus fructus meos praeberem. (Vid. versio vernacula I. D. MICHAELIS et SCHVLTENS. comment. in Iob. p. 800.) Possit vero hoc comma ita quoque intelligi, quum essem ea aetate eaque rei familiaris conditione, quae ad percipienda huius vitae comoda maxime idonea est, vt auctumnus ad fructus percipiendos, id est: quum essem iuuenis diues et sanus.

x) Vid. I. D. MICHAELIS nota vernacula ad h. l.

y) Hoc distychon huc saltem pertinet secundum punctationem Mafroethici nostri textus. Nollem tamen hanc pertinacius defendere, quoniam contextus orationis

fauet punctis, quae subiicienda suadet vir illustris et doctiss. saepe laudatus I. D. MICHAELIS, vt nempe legas שריו pro שריו, veritasque ideo: donec ager meus mihi erat. Quodsi vero receptam pronuntiationem retinere vellem, possent, ni fallor, haec verba satis bene explicari de pristina virtute ac fortuna bellica Iobi. Hic tamquam homo liber ac nulli reipublicae subiectus, utebatur sane iure bellum gerendi, pariter atque Abrahamus, qui illud adeo exercuit bono cum successu. (Genes. c. XIV.) Milites eius erant ילירי ביתו, ferui in domo ipsius nati, qui vocantur נערים (ib. v. 24.) vth. l. Iobum vero in bellica virtute excelluisse apparet, tum ex eo, quod passim imaginibus a praeliis et armis depromtis vitur, tum ex c. XXX, 15. vbi se vitam suam



Idem poëta facer Deo tribuit, quaecumque a natura ipsa (per creationem) insita sunt humano generi, dona et praerogativas, z) de quibus Homerus aliter sentire videtur. a) Malum quoque et aduersam fortunam poëta vterque a diuina prouidentia immitti, ideoque aequo animo ferendam esse docent. b) In quo amici Iobi falsum adfertum illud defendunt: pios numquam ad finem vsque vitae miseros esse posse c) nec sceleratos eo vsque felices. d) Non solum contradicit illis Iobus facillime e) sed totius libri scopus adeo inest in resutando hoc errore,

suam fortiter saepe periculo exposuisse adfirmat, et ex ipso hoc capite XXIX. v. 17. 20. praefertim vero v. 25. vbi dicit:

אָבִיר רִכְסִים וְהִשְׁבֵּ רֶשַׁע
וְהִשְׁכֵּן כְּמֶלֶךְ בְּגִדוֹר
כִּאֲשֶׁר אֲכָלִים יִנְחָם:

Quando eligebam (ciuilia) eorum negotia (tractare): primarius sedebam (iudex)

At inter turmam tentorium fixi, tamquam rex

Vbi lugentes (ob amicos ab hostibus interfectos) consolatur.

(Hanc versionem pro genuina venditare nolo; consentit tamen cum LXX virali illa Graeca.)

Si versus 2-5. ita vt equidem suffini, verti possunt (de quo alii iudicent) inrifice ad eos illustrandos facit passus, qui occurrit Odyss. XIII, 387. sqq. Sic habet:

Παρ -- μοι αὐτῆς ἐστὶ μένος πο-
λυφάρμακός ἐνεῖσα

Ὅσον ὅτε Τροίης λυόμεν λιπα-
ρα κρηθεύμα.

Αἴκε μοι ὡς μεμνῆναι παρασκευῆς,

Γλυκύμισπι,
Καὶ κε τρημοσισίω ἐγὼν ἀνδρῶσ-
σι μαχοίμην

Σὺν σοι, ποτνια Θεῶ, ὅτε μοι προ-
Φρασσῆται ἔπαρηγοίς.

z) Iob. X, 8-12. XXXI, 15. XXXIII, 4. 6. XXXIV, 19. XXXV, 10. 11.

a) Vid. eandem hanc §. supra.

b) Iob. I, 21. II, 10. XVI, 11. 12. et passim: Odyss. IV, 237. 261. VIII, 63. IX, 15. XVI, 64. e. f. p.

c) Iob. IV, 7. V, 18. VIII, 5. 6. 7. 21. XI, 15. XII, 4. XVI, 17. XXXIII, 25. XXXVI, 7. 11. 16.

d) Iob. IV, 8. V, 3 sqq. VIII, 13. XVIII, 5. XX, 5. XXII, 15. 16. XXXVI, 6. 12.

e) Iob. XII, 6. XIII, 13. sqq. XIV, 19. sqq. XVI, 7. et cap. XXIV. tot.



errore, quippe cuius argumentum omne eo valet, vt demon-
stretur, *in hoc mundo non esse theatrum iustitiae diuinae, sed in*
alio quodam futuro. f) Nihilominus tamen Iobus hoc fatetur
vna cum amicis suis, homines saepe ipsos esse causam atque
auctores sui infortunii, suarumque calamitatum. g) Egregie
profecto idem enunciat Homerus, statim Rhaph. I Odyssaeae
v. 32. 33. 34. vbi Iupiter :

ὦ ποιοί, inquit, εἶον δὴ νῦ θεοὺς βροτοὶ αἰτιῶνται
Ἐξ ἡμεῶν γὰρ φασὶ κακ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφισιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μὲρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Porro vt Iobus Deum iam ante initium mundi existisse doceth)
et negat eius tempus cum tempore hominis comparari i) aut
numerum annorum eiusdem inuestigari posse: k) ita et Ho-
mero sollempne est Deos ἀθάνατους et αἰὲν ἔοντας, i. e. aeter-
nos appellare. Disertissimis verbis idem omniscientiam natu-
rae diuinae vindicat Odyss. Rhaph. IV, 379. vbi ait θεοὶ πάντα
ἴσασι. Tectius vero eandem proprietatem numini competere
docet, dum Iouem crebro εὐρεσπα et μητιετα appellat. Iobus
Deum perfectissima intelligentia praeditum esse plane docet
c. XXXVII. 16. Alibi fusius de summa eius sapientia scien-
tiaque exponit. l)

C 3

§. XI.

f) Haec sunt verba viri doctiss. i) Iob. X, 5.

D. MICHAELIS in praefat. T.
I. vers. Germ. V. T. praefixa.

k) Iob. XXXVI, 26.

g) Iob. XXI, 16. 28-30. XXVII,
13. et alibi.

l) Iob. XI, 7. XII, 13. 22. XVI, 19.
XXIII, 10. XXVI, 6. XXIX, 24.
XXXIV, 21. fqq.

h) Iob. XXXVIII, 4.



§. XI.

Prioris argumenti continuatio.

Deinde iustitiam diuinam pertimescendam esse et homines a male faciendo deterrere debere, adserunt vterque. m) In eo quoque consentiunt liquido, quod supremi Numinis aequitatem pro sua quisque doctrina sequenti imagine illustrent: concilia quasi ab illo haberi, (adiunctis sibi in iudicio, ut alter aut, diis aliquanto minoris potentiae, *συνεθεοις*, alter angelis) super mortalium vel recte vel male factis, sua quibusuis remuneratione mastrandis. n) Iobus adeo iudicium tale instare docet, maxime memorabile in fine dierum, quo de omnium hominum perpetratis facinoribus, deque eorundem poenis et praemiis aeternum duraturis aliquando cogniturus sit Deus. o)

Pariter illis secum inuicem commune est, Numini sedem in coelo ac nubibus adscribere, p) quo placito vtuntur ad potentiae, scientiae, q) iustitiae r) et felicitatis naturae diuinae omnis vicissitudinis expertis s) laudem adaugendam atque amplificandam. Egregius, qui huc facit locus exstat Odyss.

m) Odyss. I, 379. II, 66. XIII, 214. XIV, 83.

Ὅν -- σχετικὰ ἔργα θεοὶ μακρὰς Φιλῆσσι

Ἄλλα διὰ τισὶ καὶ ἀσιμα ἔργα ἀνθρώπων.

v. 284. et alibi. Cf. Iob. VIII, 3. 20. X, 14. XI, 6. XIII, 9. 19. XXXI, 3. et 23. XXXIV, 10-12. XXXV, 14.

Adnotandum heic videtur. Iobum quoties iniustam actionem Deo tribuat, uti solere pronomine loco nominis Deo proprii. Cf. Iob. III, 20. XIII, 20. XXIV, 23. XXVI, 5. XXX, 9.

n) Vid. Odyss. Rhaps. I, 27. V, 3. 19. etc. coll. Iob. I, 6. II, 1. XV, 8. XXIX, 4. XXXV, 14.

o) Iob. XIX, 29. XXXI, 34.

p) Iob. XXII, 12. etc. Odyss. IV, 479. V, 169. VI, 150. 240. 246. IX, 15. XI, 132. e. f. p.

q) Iob. XVI, 19. XXII, 14. coll. v. 12.

r) Iob. XXV, 2.

s) Iob. XXXV, 5. 6. Inde solet Homerus passim vocare numina sua: μακρὰς θεοὺς τοὶ ὄρανον ἔσθ' οὐκ ἔχουσι.

Odyss. Rhapf. XVI, 239 sqq. vbi de Ioue et Minerua Tele-
machus ad patrem :

Ἐσθλῶ τοι τούτω γ' ἐπαμύνοτε τους ἀγορευεις,
Υψι περ ἐν νεφεσσι καθήμενα, ὡτε και ἄλλοις
Ἄνδρασι τε κρατεεσι, και ἀθανάτοισι Θεοισι.

Quanta in summa verborum simplicitate sublimitas! Alius
quidam locus eamdem fere sententiam plane solummodo ac
perspicue absque ornatu proponit, Odyss. III, 2. 3.

Ρεῖα θεος γ' ἐθέλων και δηλοτεν ἀνδρα σαωσαι.

§. XII.

Collatio placitorum de religione.

De religione itidem multa habent et similia et diuer-
sa poëtae nostri; verbi causa absolui eam sacrificiis t) et prae-
stito diuinis praeceptis obsequio. u) Porro cultum hunc in
praesenti vita iam a Deo praemiis adfici, et eos, qui serio illi
dedita sunt, etiam si paulisper infelices, tandem nihilominus
ante quam fata obeunt beatos reddi. Contemptum vero numi-
nis et maiestatis eius adorandae vt flagitium detestandum de-
scribunt et istius furfuris hominibus adscribunt, quos manet
aliquando fors miseranda in inferno mortuorum regno. E con-
trario dissensus aliquis est eorum, quod alter, Iobus, vni tan-
tummodo Deo honorem habendum esse et venerationem plu-
rium numinum x) (cum fiderum y) tum statuarum z) auer-
sandum esse censet, alter vero, vt inter omnes constat, Deo-
rum commentitiorum ingentem numerum proponit adoran-
dum. — Tum quae Iobus de resurrectione corporum mor-
tuorum profitetur, a) diuinitus accepta, Homero profus

t) Vid. Iob. I, 5. XXXV, 3. et ali-
bi Odyss. I, 60. 61. et saepissime
passim. Plus tamen Homerus sa-
crificiis in religione exercenda
dare solet, quam Iobus.

u) e. g. Odyss. IV, 353. Iob. XXIII,
11, 12. XXXV, 3. coll. v, 2.

x) Iob. I, 1. et passim, vbi laudatur
Iobus vt $\text{יְהוָה אֱלֹהֵי יוֹב}$ vir vnicum
Deum colens. IX, 13. etc.

y) Vid. Iob. XXXI, 26.

z) Iob. XXXI, 24.

a) Iob. XIX, 25. 199.



peregrina esse, facile patet. Etiam si denique infitiri nemo possit, scriptorem sacrum nonnumquam sedem mortuorum ceu perniciosum et fatalem depingere locum, b) et profanum auctorem Odyss. IV, 563. sqq. ut amoenum optabilemque fingere, ubi ad Menelaum dicit Proteus:

Ἄλλα σ' ἐς Ἠλυσιον πεδιον καὶ πειρατὰ γαίης,
 Ἀθανάτοι πεμφεσθῆναι (ὄθι Ζεὺς Ἰδαιμανίδου,
 Τη περ ἐπίτη βίωτη πέλει ἀνθρώποισιν.
 Οὐ νύφτος, οὐτ' αἶρ χειμῶν πολὺς οὔτε ποτ' ὄμβρος.
 Ἄλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λυγρῶν πνευόντας ἀήτας
 Ὡ κεανὸς ἀνήσῃ, ἀνάψυχειν ἀνθρώπους.)
 Οὐνεκ' ἔχεις Ἑλεην, καὶ σφιν γαμβρὸς Δίος ἔστι.

attamen generatim ille multo propensior est ad laudandam futurae vitae conditionem; c) hic eandem plerumque tamquam abominandam, atque omni voluptate, gratia, iucunditate orbam sistit. d) Insignis prae ceteris hanc in rem est Achilles sermo, quo Ulyssi mortem sibi consolanti ita respondet: (Odyss. Rhapf. XI, v. 487 sqq.)

Μη δὴ μοι θάνατον γε παραυδα φαιδμή 'Οδύσσει
 Βουλομένην ἢ ἐπαρούρος ἔων θηδευόμεν ἄλλω
 Ἄνδρι παρ' ἀκλήρω, ὃ μὴ βίωτος πολὺς εἶη,
 Ἥ πασιν νεκροσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Quam miserandam fingit heic poëta mortuorum sortem, si fortis Achilles eam tam fert imbecilli animo — Descriptiones inferni et insularum, quas vita defuncti habitant, in utroque auctore nostro obuias, infra percensebo, ubi de imaginibus ex antiquissima Aegyptiorum mythologia desumptis dicam.

Ibidem

b) Iob. XXXVI, 20.

c) Iob. III, 17. sqq. X, 21. XIX, 25.
 27. XX, 17.

d) In Odyss. passim, praecipue Rhapf. X. et XI.



Ibidem quoque loci Iob. III, 7. 13. XI, 17. XXIV, 18. XXVI, 5. XXXVIII, 17. 19. erunt illustrandi.

§. XIII.

Comparatio effatorum de moribus atque officiis.

Haec quidem, pro instituti mei ratione, de vtriusque scriptoris nostri placitis, quae circa cognitionem et cultum Numinis versantur, sufficiant. Sequitur iam, vt de praeceptis eorum, quae ad mores et vitae probitatem pertinent, dicendum sit. Quo vero certius, in amplissimo hoc discurrendi campo, nimis diuagandi periculum vitemus: instar omnium proponemus exempla quaedam ab istis virtutibus deprompta, quas Homerus aequae ac Iobus prae ceteris maximi facere videntur, pro gentis atque aetatis suae opinionibus. Quamuis enim praeclare facta, communi generis humani consensu, laude atque amore digna sint omnia, contra vero quoduis flagitiorum genus abominandum effugiendumque: fieri tamen potest, vt a populo quodam, propter singularem in re publica necessitatem, nonnullis virtutibus insigne tribuatur praetium, et vitiis quibusdam peculiaris turpitudine atque infamia. Sic solent Arabes fortitudinem hospitalitatem, atque indolem liberalem e) singulatim ingenuas nobilesque virtutes nominare, hominem vero ignauum, auarum et in hospites durum pro seruili ingenio habere. Homeri tempore apud Graecos eadem sententia obtinuit, sicuti quoque inter Hebraeos, dum liber Iobi describeretur, ac praeterea ex vtroque scripto communis elucet aequitatis aestimatio et peculiare odium erga adulteros. Hocce apparet clarissime ex Iob. cap. XXII, vbi Eliphazus, Iobum improbitatis reum agens, ista vitia potissimum vrget, v. 6. sqq.

Pignora extorsisti fratri tuo, nec mutuatus eras:

Nudis exueras vestes.

D

Siti

e) Ipsum liberalitatis vocabulum indicat, hanc virtutem in primis

libero homine dignam apud Romanos fuisse reputatam.





*Siti euetos non potasti aqua,
Et esurienti negabas panem. e. f. p.*

Aliquanto plenius coaceruantur crimina haec, maxime tum temporis detestata cap. XXIV. vbi v. 2. 3. 4. iniustam erga miserandos homines crudelitatem, v. 9 - 12. inhumanitatem, v. 15. adulterium, v. 21. auaritiam commemorat Iobus. Eorumdem vitiorum mentionem facit c. XXXI, vbi virtutis suae incolumitatem laudat ex eo, quod varia euitasset flagitiorum genera v. c. iniustitiam (v. 5. 13.) adulterium (v. 9.) Ex eiusdem sermone, qui cap. XXIX. continetur, colligi potest, quanti tum fuerint in gente Israëlitica virtutes supra laudatae: ibi enim praedicat iustitiam (v. 14.) liberalitatem atque misericordiam erga infelices (v. 12. 13. 15.) fortitudinemque suam (v. 17.); hospitalem se quoque fuisse adserit c. XXXI, 32.

Apud Graecos vero Homeri tempore eandem rationem obtinuisse, ex omni *Odyssæa* apparet; quippe in cuius paginis fere singulis fortitudo, hospitalitas, liberalis erga pauperes et oppressos animus et iustitia laudantur, vitia vero his repugnantia virtutibus acerrime perstringuntur. Videtur itaque superuacaneum esse, ex tanta locorum, qui huc valent multitudine vnum alterumue allegare. Id vnice addam, vtrumque scriptorem nostrum propterea pauperes venerandos consolandosque esse quantum fieri potest, admonere, quoniam Deus praecipuam gerat egenorum atque hospitem curam. Vid. inter alios locos Iob. V, 15. 16. XXXIV, 28. *Odyss.* IX, 276. XIII, 213. XIV, 284.

* * *

Constitueram quidem apud me, hac sectione adhuc exponere de ritibus et consuetudinibus, quas in *Odyssæa* pariter ac Iobo inuenire licet: sed variis causis adductus, locum hunc, qui latissime patet, in finem sectionis secundae reiiciendi consilium cepi.

COROL-



COROLLARIA

MORE CONSVETV

DISSERTATIONI ACADEMICAE SVBIIICIENDA

- I. **C**ELEBERRIMAE istae quatuor syllogismorum figurae pertinent ad inanes scholasticorum veterum argutias.
- II. **F**IERI haut potuit, vt Deus ab aeterno mundum crearet.
- III. **N**ON opus est, vt cuiusuis euentus supernaturalis effecta corrigantur restitutionis quodam miraculo nouo.
- IV. **A**D eruendam vocum Hebraicarum genuinam significationem, tutior est vsus Syriacae dialectus, quam Chaldaicae et Rabbinicae
- V. **I**N antiquis codicibus vet. Test. saepe puncta vocalia ab alio librario sunt apposita, quam qui consonantes exarauit.
- VI. **N**VLLIVS gentis historiam recte perspicimus, nisi indolem conditionemque politiae eiusdem competentam habemus.
- VII. **M**AGNA pars historiae vniuersalis medijs aevi haurienda est ex libris orientalibus.
- VIII. **L**INGVA Graeca perspicuitate atque vbertate Romanae est praeferenda.
- IX. **S**CHOLIA scriptoribus Graecis adiecta plerumque eruditionis variae, etiam praeter grammaticam, plena sunt.

X.



- X. **ELOQVENTIA** proprie saltim in libera re publica florere potest.
- XI. **DELECTATIO** est scopus poëseos primarius et fere vnicus.
- XII. **MATERIA** lucis perperam vulgo pro eadem habetur, cum materia ignis.
- XIII. **NEMO** naturalis philosophiae ignarus solide doctus esse potest.
- XIV. **INTER** duas lectiones varias, ceteris paribus, obscurior et difficilior pro genuina est habenda.
- XV. **CODICES** Hebraici manu exarati ibi seruant plerumque Cateph Kametz, vbi in impressis Kametz Catuph obuenit.
- XVI. **INTER** omnes litterarum disciplinas Matheoseos certissima est ratio.
- XVII. **ABSQVE** inuentione Astronomiae homines haud commode vitam degere possent.
- XVIII. **DOCTRINA** morum ex elegantioribus litteris praesidia capit plurima.
- XIX. **NONNULLI**, aliis placendi studio abrepti, peiores se esse simulant, quam re ipsa sunt.
- XX. **IN** omni falsiloquio fraus quaedam inest, quantumuis exigua.




01 A 6625


ULB Halle

002 934 191

3







DISQUISITIO
NVM LIBER IOBI CVM ODYSSEA
HOMERI COMPARARI POSSIT?
SECTIO I.

QVAM
SINGVLARI INDVLTV
INCLYTI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIO - CAROLINA
ANTONIVS AVGVSTVS HENRICVS
LICHTENSTEIN

PHILOS. DOCTOR ET LIBERAL. ARTIVM MAGISTER SOC.
DVC. TEVTON. SODALIS

A. D. XXX. OCTOBR. A. R. S. CIDI DCCCLXXIII.

IN IVLEO MAIORI


PVBLICE VENTILABIT

RESPONDENTE

HENRICO PHILIPPO CONRADO HENKE

BRNOVICENSI

SACR. LITTER. CVLT. SOC. DVC. TEVT. ADSCRIPTO.



HELMSTADII

BX OFFICINA MICHAELIS GVNTHERI LEVCKART.